

Conradus Vorstius Theodor Wiermann

Theses Theologicae De Idololatria Romanae Ecclesiae In cultu Imaginum

Steinfurti: Caesar, 1608

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746986394>

Druck Freier  Zugang





95

52^b. 6.



ET TRUCA & SAUCIA CRESCIT

Jupiterus Stirps haec Trunca
 et Saucia crescit.
 Sub Cruce sic crescit jugiter
 Alma Fides.

Ad Libros IPSorum 97.

Ja 1092 (95.)

Tomo hoc XLVII. continentur:

1. Dicherni Icarus Academicus Norimb 1643.
2. Acclamatione propempticae Academiae Genensis cum eo discederet idem Dichernus.
3. Orationes inauouatae Academiae Luodunensis Batavoru. Anno. 1620.
4. Polyanthi. Walaei.
5. Thysii.
6. Hommii.
7. Sinapij.
8. Rauri Pancognica Orientalibus Linguis Trajecti ditta. 1693.
9. Hier. Welleri Conspitium de studio Theol. Rostoch. 1617.
10. Simile D. Joh. Quistorpii Rostoch. 1643.
11. Iusti Ione oratio de eodem argumento. ibid. 1644.
12. Dan. Heimfii. Homilia in Natalem Domini. Lugd. 1613.
13. —. In Christi Passionem. ibid eod.
14. Quistorpij de Vinibus liberi Arbitrii coll. con III, 4. s. 1645.
15. Samhauenii. Dominus gloria crucifixus. 1633.
16. —. De Melchisedeco e Gen. xlv. 1634.
17. Iacobus Martini de Causa Peccati. 1639.
18. —. Analysis Capitis Vad. Romanor. eodem.
19. Dorschauc De tribus testibus in Terra. 1 Jo. v, 8. 1635.
20. —. De Peccato originali. eod.
21. —. Synopsis Theol. Zachariae.
22. —. ad Hebr. xiii, 8. 1643.
23. —. ad Act. xv, 27. 28. 1646.

24. D. Mentzerus de Ecclesia. 1608.
25. D. Hamekenig de Persona Christi. 1645.
26. D. Cothmannig de Predestinatione. Rostoh. 1692.
27. ———. Pars II. —
28. Jo. Croig de Orthodoxa Fidei Delectu Marp. 1619.
29. ———. Ivano. per Europā Doctrina cum script. S. conformitas.
30. ———. De Apostolici nominis causis.
31. ———. De Apostolica Ecclesiarū Ivang. Doctrina.
32. ———. De Catholicismo Eccl. Ivangelicae.
33. ———. De Antiquitate Relig. Ivangelicae.
34. Gocklenii Theses Apologeticae contra Pinkium. 1606.
35. ———. De Analogia seu proportione.
36. Pezelius de S. Coena Stempforti 1602.
37. Jossani Theses contra Ivangelicos. ibid. 1605.
38. Ravenspergeri Sanyon redivivus. ibid. 1614.
39. Heyderi vnae questionum Theol. Marburgi. 1611.
40. Eglini de Generaloria Christi. ibid. 1608.
41. ———. De Fide iustificante. ibid. 1617.
42. ———. De Peccato in Spiritum S. cod. 44 β. Croig de Peccato
de Baptismo.
43. ———. De Predestinatione. ibid. 1619.
44. ^{Compendium Annotat. Poeticum} Conradig Vorshig de Idolatria Pontificum in cultu Iurhani.
45. ———. Iste Stempfort. 1608.
46. ———. De Idolatria eorundē in cultu sanctorum.
47. ———. ———. In cultu Imaginum.
48. ———. ———. In cultu ipsius Pontificis.

49. P. Petri Roestii Soc. Jes. Disputatio Paradisiaca
50. Corradi Vossii Oratio Apologetica in
pleno Confessu Ordinum Hollandiae et Westphaliae ha-
bita. Hart. Martij. 1612.
51. Ebelius de Generatione et Corruptione Flum.
Giesae. 1646.
52. — De Anima Flum Simplicitate. 1644.
53. — Decade IV. Conclusionum Metaphysicarum. 1646.

1. 8. 3. 7.

2. 11. 4.

3. 29.

4. 38.

5. 39.

6. 50.

7. 43. 49.

8. 44. 48.

9. 47.

10. 46.

A - Q
16
35
30
A - C
20
40
A - B
-
A - B
35
Pr. 36
A - 00
A - C
A - B
A - B
A - B
A - F
A - G
A - 00
40
128
72
A - 00
A - D
14
16
32
-
A - G
A - B
A - C
A - B
A - C
A - C
Pr. 61
A - D

A - D
A - C
A - C
A - C
65
A - C
48
A
16
A
A - C
A - C
A - C
A - B
A - K
51
24
24
20

47.
44

THESES THEOLOGICÆ
DE
IDOLOLATRIA
ROMANÆ ECCLESIAE
In cultu Imaginum.

*Quarum veritatem, cum Θεοῖς, in publica Illustris Schola
Steinfurtenfis Disputatione, ad diem 27. Augusti.
habenda,*

PRÆSIDE REVERENDO ET CLA-
RISSIMO VIRO, DN. CONRADO VORSTIO
SS. Theolog. Doct. & Professore ordinario,
pro virili defendere conabitur

THEODORUS WIERMANNUS Teclaburg. W.

M. D C.

VIII.



Steinfurti excudebat Theoph. Caesar.

50.
49.
44. 48.
44.
45.

NOBILITATE GENERIS, DO-
ctrinæ virtutumq; splendore spectatissi-
mis, præcellentissimisq; viris,

DN. JOHANNI ab HUGENPOHT in Boswinckel &
Stoekumb/ Illustrissimi Principis ac Domini, DN. JOAN-
NIS GVVILIELMI Principis Juliacensis, &c.
Satrapæ apud Hammonenses dignissimo, &c.

E T

Dn. BERNARDO à MUNSTER in Weinhövel/ re-
NEC NON

Clarissimo consultissimoq; viro, Dn. GVVILIELMO
STURIONI J. U. D. & Illustris ac Generosi Dn. Comi-
tis Hanoviensis Consiliario prudentissimo ac
fidelissimo,

Item

Strenuo ac fortissimo viro, Dn. HENRICO Schmits
hauß/ aliàs Schmits/ Capitaneo Urbis & Territorii
Susatensis vigilantissimo:

*Dnm. Mæcenatibus, ac fautoribus suis, summâ
observantiâ colendis:*

*Hæc de Idololatria Rom. Eccles. in cultu
Imaginum Theses, in*

*Grati animi testificationem,
Debiti honoris symbolum,
Et perpetuæ observantiæ monumentum,*

Dedicat, Inscribit & Offert

THEOD. WIERMANNUS R.



Theses Theologicae

De Idololatria Romanæ Ecclesiæ,
In cultu Imaginum,

7.

VENTUM est ad quartam Idololatria Pontificia speciem, quæ in cultu Imaginum consistit. De qua præsens Disputatio, DEO favente, sic instituetur, ut hunc ipsum Imaginum cultum, qualis in Papatu hæctenus usitatus est, verè idololatricum esse, & præinde serio nobis fugiendum esse, bonis rationibus ostendatur.

2. Sed priusquam ad arcem causæ veniamus, Prolegomena quadam obiter explicanda sunt, quæ ad statum questionis plenius intelligendū nō parū cōducent. Quorū primū est de significatione vocabulorū, Imaginis, simulachri, & Idoli, &c. quæ aliter à nostris, aliter ab adversariis, in hoc argumento accipi solent.

3. Nostrorum hæc sententia est: Omnē Imaginem, sive omne simulachrum (hæc enim duo apud bonos auctores equipollent. Vide Lactant. lib. 2. Instit. cap. 2. & lib. 6. cap. 10. & 13.) si religioso cultu afficiatur, revera Idolum & esse, & appellari posse: sive rem aliquam veram, sive falsam, aut fictam representet. Vide Harm. Confess. sect. 2. in Confess. Helvet. Bohem. & Svervic. Itē sect. 17. Confess. Helvet. & Saxon. Vide etiā Calvin. lib. 1. Instit. cap. 11. sect. 12. & seqq. Bulling. de Orig. errorum lib. 1. c. 29. item Magdeburg. sent. 8. cap. 4, 8, 9, 10. & alibi passim alios.

4. Ratio sententia est: quia Spiritus S. ita perpetuò loquitur, ut Imagines omnes, etiam rerum verissimarum, cum primū religiosè coluntur, Idolorum nomine traducat. Vide Exod. 20, 4. & 32, 4. Deut. 4, 15. & 7, 5. & 23. & 27, 15. item Ezech. 6, 4. & seqq. & 8, 3. & seqq. Hos. 4, 17. & 14, 9. Ubi etiam simulachra Solis, Lu-

Transitio.

I. Prolegomenon, de vocabulis.

Imago, simulachrum, Idolum.

Probatio thesicos.

2

50.
49.
48.
47.
46.

næ, hominum, avium, piscium, vitulorum, &c. disertè inter
Idola referuntur, siquidem modo prædicto colantur. Vide & Gen.
31, 34 Ubi Theraphim (hoc est, effigies hominis) Idola in vul-
gata versione, item à 70. Interpretibus, appellantur. Et Sap. 14, 11, 12.
& seqq. Idola inde orta esse dicuntur, quòd Imagines filii à patre,
item Regis à populo factæ, ac divino honore cultæ sint. Deniq; Rom.
1, 23. & 2, 22. Item 1. Cor. 12, 2. Imagines hominum & bestiarum,
aliquo divino honore affectæ, Idola perspicuè vocantur, &c.

Elenchus, 5. Itaq; non leviter errant Adversarii, qui differentiam, Ima-
ginis, & Idoli, in eo sitam esse volunt, quòd illa sit vera rei simili-
tudo; hoc autem falsa representatio ejus, quod re vera non est. Un-
de porro, nullam Imaginem, hoc est, veram rei vera similitudinem
(puta Dei, Christi, Angelorum, hominum, &c.) Idolum un-
quam esse, aut appellari posse, cõtendunt. Vide Bellarm. lib. 2. de Ec-
cles. Triumph. cap. 5. & seqq. Ubi etiam aequipollentia Imaginis
& Simulachri temerè negatur.

Respons. ad 6. Neg. verò, quia Idola usitatè Elilim, & Avanim, & Scha-
kar, hoc est, vanitates, falsitates, & mendacium, in sacris litteris
appellantur, idcirco Imagines nunquam Idola esse consequitur. Nã
primùm Idola non semper ita vocantur, sed interdum aliis no-
minib. insigniuntur: ut, Theraphim, Tzelamim, Pefilim, The-
munim, Baalim, Elohim Acharim, &c. h. e. statua, effigies,
sculpta signa, similitudines, Domini, & Dii alieni, &c. Vide Gẽ. 31.
Exo. 20. Num. 33. Esa. 42. Ezech. 7. Hab. 2. Zach. 10. & alibi passim.

Idolum
quomodo
mendax,
&c. 7. Deinde non tam ab externa forma, quàm ab inani effectu,
nomina illa Idolis induuntur: nempe quòd falsitatem doceant (un-
de illud Habac. 2, 18. Sculptile est more Scheker, id est, doctor
mendacii, &c.) quòdq; fallant expectationem Idololatrarum, q;
se ab iis adjutum iri confidunt. Quo sensu etiam præstantissimus
aliquis Rex, aut alius homo, licet viva DEI imago, interdum A-
ven, & Schakar, hoc est, vanitas & mendacium, appellatur. Vi-
de Psal.

de Psal. 62, 10. Esa. 41, 29. Et Jobus eadem ratione amicos suos vocat
medicos Elil, h. e. nihili, &c. cap. 13, 4. Et quae urbs olim Bethel,
id est, domus DEI, dicebatur, ea propter eandem causam postea
Bethaven, id est, domus vanitatis, appellata fuit. Hos. 4, 15. &c.

8. Idem ferè judicandum est de verbis Apostoli 1. Cor. 8. 4. Ubi ^{Resp. ad}
Idolum nihil esse dicitur, &c. Non quòd necessariò nihil sit, si ^{2. object.}
ve materialiter, si ve formaliter; vel quòd semper repraesentes id,
quod nihil est, ut Bellarm. ait: Sed quòd efficacia ejus nulla sit, aut
sanè nullius momenti; si ve quòd ipsa res in se vilis sit, & per quàm
exigua, ideòq; nihili facienda, &c. Quomodo etiam homo arrogas
dicitur nihil esse, quum se putet esse aliquid, Gal. 6, 3. Quare
quam Idoli nomen hoc loco non tam simulachrum, quo numen a-
liquod representatur, quàm ipsum fictitium numen, etiam absq;
simulachro cultum, significat. Vide 1. Chronic. 16, 26. Ubi omnes
Dii populorum Idola dicuntur, &c.

9. Porrò ad Origenem & Theodoretum quod attinet, un- ^{Resp. ad 3.}
de Bellarminus suam illam distinctionem hausisse videtur, ^{is object.}
non modò Sacrarum literarum perpetuum stilum, sed & commu-
nem aliorum Patrum consensum opponimus. Hi enim omnes Ido-
li nomen etiam ad veras rerum existentium imagines, si divino
honore afficiantur, manifestè accommodant. Vide Justin. Apol. 2.
Tertull. de Idol. cap. 3. & 4. Cyprianum de Idol. vanitat. Atha-
nas. Orat. contra Idola, Euseb. de vita Constant. lib. 3. cap. 25. &c.
Immò vide ipsum Origenem in Epist. ad Rom. lib. 1. & Theo-
doretum de curandis Græcor. affectib. serm. 3. & 10. &c. Et tantùm
de primo sufficiat. Si quis autem plura vult, videat Johan. Rai-
nold lib. 2. de Idololat. Rom. Ecclesia, cap. 2.

10. Alterum prolegomenon est de rebus ipsis: nempe, nò omnes ^{1. Prolego}
Imagines esse illicitas, nedum Idolorum nomine insigniendas, &c. ^{menon, de}
Nam omnium rerum creatarum, licet invisibilium, imagines o- ^{speciebus}
mnino per se licite sunt; nec nisi per accidens in DEI verbo p- ^{Imaginū.}

hibentur, hoc est, propter accedentem idololatricum cultum, ite-
r abscenitatem ac turpitudinem, aut similem aliquem abusum. Vi-
de Exod. 25 & 31. & 35. item Num. 21. & 1. Reg. 6. & 7. & c. Ubi
Deus ipse Cherubinos, & alias id genus imagines, exprimi cura-
vit. Vide etiã Exo. 20. Lev. 26. Esa. 42. & c. Ubi tales imagines non
nisi respectu idololatriæ, & similis alicujus abusus, prohibita dicuntur.

Imagines
Dei an &
cur illicitæ.

11. At verò Imagines Dei, & S. Trinitatis, simpliciter & per
se illicitæ censeri debent, siquidem ad exprimendam DEI essentiã,
aut personam, adhibeantur: utpote ab ipso DEO prohibita, & in-
finità ipsius maiestate prorsus indigna. Vide Deut. 4. 15. & seqq. Ubi
diligenter nobis cavere jubemur, ne ullam DEI simili-
tudinem exprimamus, & c. Et Esa. 40, 18, itẽ Act. 17, 29. & Rõ.
1, 23. aperte docetur, fieri non posse, ut ulla vera effigies Dei
exprimatur: adeoq; Deum per imagines rerum creatarum
efformari non posse, quin gloria incorruptibilis Dei læ-
datur, & c. Nempe, quia eterno illi, & infinito, & incomprehensi-
bili Numini nulla res creata similis esse potest: sicut ipsa ratio, præ-
ter S. Scripturam, perspicue testatur.

Amplior
probatio.

12. Atq; hac in parte non solum exempla Sanctorum V. & N.
T. qui nullam unquam Imaginem DEI fecisse; aut habuisse legun-
tur; sed & testimonia antiquorum Ecclesiæ Christiana Patrum;
inimò & confessiones quorundam adversariorum, aperte nobis
suffragantur. Vide inter Patres, Origenem contra Cels. lib. 7.
Clement. Alexandr. lib. 1. & 5. Stromat. Eusebium de prapa-
rat. Euang lib. 3. Athanas. Orat. contra gregales Sabellii. Hiero-
nym. in Esai. cap. 40. Augustin. de fide & Symbol. cap. 7. Theo-
doret. in Deut. quest. 1. & c. Inter adversarios autem Durandũ
in lib. 3. sentent. distinct. 9. quest. 2. Abulensem in cap. 4. Deut.
quest. 5. Peresium de tradit. part. 3. & c.

Enchus.

13. Quare hic quoq; graviter errant acerrimi quig; Adversa-
rii, dum Imagines Dei, non minus quàm creaturarum, simplici-
ter &

ter & per se licitas esse tradunt: & dum nominatim Deum Patrem
in forma viri senis, filium in specie viri juvenis, aut Agni; Spiritum
S. denique in forma columbae, &c. depingi posse cōtendunt. Vide Bel-
larm. lib. 2. cap. 8. Ubi perplexam Concilii Tridentini sententiam,
hac de re admodum obscure sess. 25. probatam, plenius explicare co-
natur: sic tamen, ut non omnes Papistas hac in parte sibi consenti-
re, perspicue fateatur.

14. Nec refert, quod Deo passim in sacris literis humana mem-
bra tribuuntur, quodque Deus aliquando in specie visibili appa-
ruisse, aut quasi stans, vel in throno sedens, &c. conspectus fu-
isse dicitur: uti Gen. 18. & 28. Exod. 3. & 19. & 33. Itē 1. Reg. 22. Esa.
6. Dan. 7. Amos 9. Itē Matth. 3. Act. 2. &c. videre est. Hæc enim
omnia non proprie, sed metaphoricè accipienda esse constat Neque
de ipsa DEI essentia, vel persona; sed de effectu, h. e. judicio
vel opere aliquo ejusdem externo, per visionem internam adum-
brato, intelligi debent. Quomodo Deus etiam homini, vel ani-
mali, item igni, turri, clypeo, rupi, & aliis id genus creaturis, in-
terdum seipsum comparare solet: quarum tamen formis exprimi
nec vult, nec debet.

Resp. ad I.
objec.

15. Multo minus Adversarios juvat, quod homo viva DEI
Imago, coloribus exprimi solet: quodque tum boni tum mali An-
geli, licet Spiritus; item quod virtutes, ac vitia, licet mera acci-
dentia, depingi consueverunt, &c. Hac enim omnia in censu crea-
turarum sunt inter quas, scilicet, & Deum Optimum Max. nul-
la specierum, seu formarum proportio est; quæque per accidens saltē,
in effectis, aut subjectis suis, aliquatenus efformari possunt. Præter-
quam quod homo non propria & immediata; sed metaphorica
& mediata quadam DEI Imago est: quodque non eadem ratio est
imaginis pictæ, & proprie dictæ, ad imaginem vivam & meta-
phoricam, qua huius est ad ipsum prototypum, sive exemplar
primarium.

Resp. ad 2.
objec.

16. His

Scatus præ-
cipuus, de
cultu ima-
ginum.

16. *His ita premissis, ad causam principalem veniendum est. Ubi statuimus, Adversarios in cultu sacrarum Imaginum (puta Dei, Christi, & Sanctorum, &c.) veram & propriè dictã Idolatriam exercere. Id quod partim ex ipsorum doctrina, partim ex quotidiana praxi, & facile & perspicuè probabimus.*

Sententia
Papistarum

17. *Doctrina ipsorum publica illa est, quam Synodus Nicena secunda, sub Irene Imperatrice iam olim circa octavum seculum celebrata (ad hanc enim Concilium Tridentinum sese manifestè refert) aperte & copiosè tradidit: nempe, Imagines Christi & Sanctorum esse suppliciter adorandas, & quidem perfectè & propriè, sive in se, & per se, religiosè colendas, &c. Quam doctrinam & Damascenus, eodem ferè tempore, in libris suis de Orthodoxa fide inculcavit. Quã deniq; princeps Scholasticorum Thomas part. 3. quæst. 25. artic. 3. & 4. his ferè verbis expressit. Quum Christus adoretur adoratione latriæ, consequens est, quòd imago ejus etiam adoranda sit adoratione latriæ, &c. Puta, propter repræsentationem ipsius prototypi, in quod tandè universus hic cultus redundat, &c. nempe, juxta illud Arist. in lib. de memor. & reminisc. Quòd cogitatio directã ad imaginem rei, par sit ei, quæ ad rem ipsam dirigitur, &c. Atq; hac communis omnium Scholasticorũ doctrina est, etiam à Concil. Trident. nõ obscure approbata, sess. 25.*

I. Pars. 18. *Sed Bellar. tamen lib. 2. cap. 12. & seqq. per duplicem distinctionem plenius & subtilius hanc ipsam doctrinam declarat. Primò enim ait: Imagines ipsas in se & p se, b. e. propriè & directè, à nobis colendas esse: sed cultu quodã minore, quàm qui prototypis ipsis conveniat; licèt analogicè tamen ad majorem cultum reduci possit, ac debeat: Idque propter sacram imaginum significationem, & solennem dedicationem: quæ utraque propriè ipsis inhæreat, easque per se venerabiles reddat, &c.*

19. Deinde

19. Deinde docet: Imagines etiam eodem cultus genere, Secunda
Part. qui exemplaribus seu prototypis convenit, puta latria, vel
dulia, &c. efficiendas esse: non tamen per se, directè, & pro-
priè; sed per accidens, indirectè, & impropriè: quatenus,
videlicet, cultus Imaginis ad cultum prototypi sive exē-
plariorum, finaliter reducitur, &c. sicut ex Thoma paulò antè per-
cepimus. Hujus enim absurdam sententiam, de identitate gemi-
ni cultus, quorum unus Imagini, alter prototypo debeatur, isto
quasi pharmaco Bellarminus sanare instituit.

20. Alii paulò aliter loquuntur: sicut apud Valentinianum, Summa
rei, Costerum, & ceteros, videre est. Sed rei tamen summa hæc est:
Imagines Christi & Sanctorum, non quidem absolutè, &
materialiter; sed tamen relativè, & formaliter spectatas,
omnino religiosè venerandas esse: partim in se ipsis, ob
inhærentem sacram significationem, &c. partim respectu
prototypi, quod in ipsis quodammodo reluceat. Unde est
versiculus vulgò notus:

Effigiem Christi, dum transis, pronus honora.

Non tamen effigiem, sed quem designat, adora.

Sensus est: Imaginem Christi per se quidem suppliciter veneran-
dam, nõ tamè, nisi respectu prototypi, cultu latria adorandã esse, &c.

21. Ex hac igitur Adversariorum doctrina, quãvis cõmedißimè Porifana l.
ejusq; ra-
tio. explicata, duplex illorum Idololatria clarè pspicitur. Prima est:
quòd Imagines in se, & per se, itè propriè, & directè, quodã
religioso cultu efficiendas esse docent, &c. idq; cõtra expres-
sum DE I interdictũ Exo. 20. Deut. 4. & 5. &c. Nõ facies tibi ul-
lũ sculptile, aut ullam Imaginẽ, &c. Nõ adorabis ea, neq;
coles ea, &c. Ubi obiter est notandũ, in Hebraeo textu nõ tã inter-
nã venerationẽ, quã externã corporis incurvationẽ, sive etiã
genu flexionem (quæ alibi disertè exprimitur) his verbis nomi-
natim declarari. Cõfer 1. Reg. 18. Rõ. 11. &c. Ne q; excipiat, agi hãc
tantum de cultu latria, seu merè divino, q; simulachris ipsis, tam-
quam Diis, directè impendatur. B

Aliæ ejusdem ratio. 22. Ne jam dicamus, quod res est, Imagines ipsas, sive materiã, sive formã tenus, in se spectatas (utpote opera manuum nostrarũ, & res prorsus inanimas, omniq; sensu & ratione carentes) hujusmodi honoris & cultus minimè capaces esse, cujusmodi ab Adversariis hinc intelligi solet. Ut prorsus indignum sit, hominem ipsum, vivam DEI Imaginem, coram opificio suo, bruto & muto, seipsum prosternere, eiq; cultum religiosum, sive humano excellentiorem, suppliciter deferre, &c.

Perisima ejusque probatio. 23. Altera est: quod eadem Imagines, saltem indirectè & reductivè, videlicet ob prototypum, in ipsis repræsentalum, eodem cultu cum ipso prototypo afficiendæ esse dicuntur, &c. idq; adversus aperta Scriptura testimonia, qua divinum Imaginum cultum, à Judæis, vel Ethnicis olim usurpatũ, simpliciter Idololatria nomine traducunt: nihil obstante hac utrorumq; exceptione, quod ejusmodi cultum non ipsis imaginibus per se, sed earum prototypis, videlicet ipsi DEO, vel Angelis, &c. in ipsis signis exhiberent.

Declaratio exemplorũ. 24. De Judæis vide Exod. 32. Jud. 17. & 18. Item 1. Reg. 12. & 13. & 2. Reg. 18. &c. De Ethnicis vide Psal. 115. & 135. Esa. 44. & seqq. Act. 17. Rom. 1. &c. Atq; ex ipsis locorum circumstantiis, obiter observa, neq; hos, neq; illos (saltem paulò prudentiores) ipsas Dei, vel Deorum suorum imagines pro aeterno DEO, aut Diis suis habuisse: sed hunc, sive hos, tantũ in illis, tanquam signis ac symbolis suis, colere voluisse: Nec proinde effugium illud, de prototypo in Imagine colendo, &c. Adversariis quicquam prodesse posse.

De Judæis. 25. Quum enim (ut v.g. hac obiter attingamus) populus Israël de vitulo, seu Bove aureo, exclamaret, Exod. 31. Hic est Deus tuus, qui te eduxit ex Ægypto, &c. Item ibidem: Cras erit festum Domini, seu Jehovæ, &c. Satis apertè significant, se vitulum illum duntaxat pro symbolo veri DEI, qui Jehova dicitur, non pro ipso DEO revera habere. Prasertim quum scirent, hũc
vitulum

vitulum tunc nondum extitisse, quo tempore ipsi ex Ægypto educerentur, utpote recenter admodum ex auro conflatum, &c.

26. Similiter quum Deus ipse de Ethnicis, seu gentibus Idololatriæ, aperte testetur, quòd Deos suos nunquam mutaverint, Jerem. 3, 10. contrariò, manifestum sit, Imagines ac statuas Deorum subinde à gentibus variè immutari, adeòq; uni DEO (v. gr. Jovi, aut Marti, &c.) plures Imagines erigi consuevisse. Omnino cõdsequitur, imagines ab Ethnicis non pro Diis ipsis, sed pro Deorũ signis, ut Cicero sæpe loquitur, habitas ac cultas fuisse.

27. Id quod adeò certum est, ut veteres Ecclesia Dd. cum nominatim adversus Idololatriam gentium scriberent, in hac illarum exceptione refellenda quasi ex professo insisterent. Vide Lactant. in Libris Instit. passim. Arnobium lib. 6. & 7. contra gentes. Clement. Alexandr. passim in libris Stromatum. Athanas. contra Idola, &c. In primis autem expendere hæc verba Arnobii: Sed inquirunt (Ethnici Idololatræ) neque Nos æra, neque auri argentique materias, aut alias, quibus signa confiunt, eos esse per se Deos, & religiosa decernimus numina: sed eos ipsos in his colimus ac veneramur, quos dedicatio infert sacra, & fabrilibus efficit inhabitare simulachris, &c. Respondet autem Arnobius, id æque absurdum esse, ac si statuas ac simulachra Deos esse putes, &c. Vide etiam Augustin. in Psal. 113. Ubi similes exceptiones obiter refellit.

28. Nec refert, quòd ordinariè tum Judæi, tum Ethnici Idololatra, imagines ac statuas illas, ipsius DEI, vel Deorum nomine insignirent. Usitatissima enim hac metonymia est, qua signo nomen rei signat & tribuitur: v. gr. cum simulachra bouum, Leonum, & Cherubinorum appellantur boves, leones, & Cherubini. Vide Exod. 25, 18. & 1. Reg. 6, 23. & 7, 25. & 10, 19. &c. Quomodo etiam ipsi Adversarii suas Imagines ac statuas, eisdem, quibus prototypa nominibus, puta, Christum, Mariam, &c. indigitare solent.

Resp. ad 2. 29. *Neg, illud obstat, quod Idololatra illi dicuntur Deos alienos coluisse, & verum Deum obliti esse, &c. Deut. 32. Psal. 106. Jerem. 2. &c. Nam & Imagines veri DEI religiosè colere, & verum Deum per hasce vetitas imagines colere, species quaedam Idololatriæ est. Sic enim ex Imaginibus alieni Dii sunt: quia Deus suam gloriam sculptilibus dare non vult. Esa. 42, 8. Sic denique veri Dei obliviscuntur, quæcumque non fructuosè pietas ejusdem meminerunt, h. e. quæ ipsum ex ipsius præscripto non legitimè colant, nec præcepta ejus ex animo cõservant. Vide Deut. 8, 11. Psal. 78, 10. & alibi passim.*

Cõclusio 30. *Hinc igitur efficitur, doctrinam Papisticam hac in parte prorsus Idololatricam esse: & porro exceptionem, seu distinctionem istam geminam, de signo & prototypo, deq; majore & minore cultu, &c. non magis Adversariis nostris prodesse nunc posse, quàm vel Judæis, vel gentibus Idololatriis olim profuit: præsertim quum isti utriq; non minùs quàm illi, non modò falsis Diis (quod alioquin sæpe factum fatemur) sed interdum etiam vero Deo Imagines erexerint, eumq; per ipsas, & in ipsis coluerint. Vide loca supra citata, præsertim Exod. 32. Jud. 17. & Act. 17. &c.*

De praxi 31. *Sed jam ad praxin Adversariorum veniamus: quæ multò plenius adhuc magisq; perspicuè docebit, Imagines DEI & Sanctorum in Papatu propriè & directè adorari, seu per se religiosè coli, & planè divino honore affici, tanquam quæ numen aliquod divinum in se inclusum habeant, seu virtute quadam divinâ prædita sint, &c. Nam imprimis suppliciter se coram iis prosternunt, aut saltem capita aperiunt, & genua flectunt: deinde fertis, corollis, ac pretiosis vestibus eas exornant: item cereos, seu lamina in honorem earum accendunt: Immodò thus, sive incensum (quæ Sacrificii species est) iisdem adolent: Item oscilla, aliq; anathemata, seu donaria ipsis offerunt: adhuc palàm & publicè in processibus suis, easdè*

eadem cum hymnis & iubilo circumgestant: & deniq; preces ac
vota sua coram ipsis effundunt: immo non raro ad ipsas immedia-
te dirigunt, h.e. ipsas directe & proprie invocant: & ceteras penè
omnes divini cultus species iisdem exhibent.

32. Porro quia de cæteris quidem capitibus ex ipsa praxi satis
apertè constat; vel saltem ex Durando, & aliis Sacrorum Ponti-
ficiorum expositoribus, constare potest: de attributione autem
divinæ virtutis, deq; invocatione directa ipsarum imaginum,
dubitari potest: Idcirco hæc utraq; species paucis probanda est. De
numine igitur, seu virtute divina, quam adversarii vulgò ima-
ginibus inesse putent, vel ex ipsis consecrationum formulis liquido
constare potest. De quibus ex Rationali Durandi, item ex Pon-
tificali & Ceremoniali Romano (libri sunt Papistarum, jam
pridè quasi canonizati) exempla nō pauca citari possent. Sed nos u-
no vel altero cōtenti erimus, unde cetera facile poterunt aestimari.

Vis divina
Imaginib.
attributa.

33. Sic igitur Imago novæ Crucis benedicatur in Pontificali,
pag. 172. Benedictio illius ligni, in quo Salvator pependit,
fit in isto ligno: ut omnes, ante hanc crucem orantes, in-
veniant corporis & animæ sanitatem, &c. Item, sit crux ista
fidei fundamentum, spei suffragium, in adversis defensio,
in prosperis adjuvamen, in hostes victoria, in civitate eu-
stodia, in campis protectio, in domo futura, &c. Quæ cer-
tè numen aliquod Imagini tribuant, & veram Christi crucem, e-
iusq; mysterium, prorsus evacuant.

Exemplum
Primum.

34. Præterea Imago Beatæ Virginis ibid. pag. 174. consecra-
tur his verbis: Sanctifica Deus hanc formulam B. Virginis,
ut tuis fidelibus salutaris auxilii opem ferat: tonitrua &
fulmina citius expellantur: pluvixque inundatio, & bel-
lorum commotio, ad præsentiam ejus cōprimantur, &c.

Secundū.

*Item, benedicere eam digneris, ut quicumq; misericordie
Reginā coram hac effigie suppliciter honoraverit, de in-
stantib. piculis eruatur, & de cōmissis & omissis veniā im-
petret, &c. Quid clarius de numine hujus Imaginis dici potest?*

Tertium. 35. *Deniq; de Imagine Johannis Evangelistæ ibidem hæc
oratio refertur: Sit hæc Imago, Dæmonum sancta expulsio,
Angelorum advocatio, fidelium protectio, ejusq; in hoc
loco vigeat intercessio, &c. Unde satis manifestum fit, divinā
virtutem Imaginibus attribui; & porro divina beneficia per ima-
gines, imò nonnunquam ab imaginibus, in Papatu peti, & expe-
ctari: sicut ex seqq. amplius apparebit.*

Invocatio
nis Imagi-
num Exe-
plum. 36. *Quis porro negare potest, Imagines etiam in Papatu invo-
cari? quum satis constet ex Antidotario anima, Papam Johan-
nem XXII. orationem hanc instituisse, directē ad Imaginē Ve-
ronicæ dicendam, hoc est, ad sudarium, seu panniculum illum, cuius
faciem Christi olim impressam fuisse fabulantur.*

Salve sancta facies nostri Redemptoris:

In qua nitet species divini fulgoris:

Impressa panniculo nivei candoris:

Datumque Veronicæ signum ob amoris.

Salve decus seculi, speculum Sanctorum:

Quod videre cupiunt Spiritus cœlorum:

Nos ab omni macula purga vitiorum:

Atque nos consortio junge beatorum, &c.

Lumen funde cordibus, ex vi tibi data:

Et a nostris sensibus tolle colligata, &c.

Salve robur fidei nostræ Christianæ:

Destruens hæreticos, qui sunt mentis vanæ:

Horum auge meritum, qui te credunt sanè,

Illius effigiem, qui Rex fit ex pane, &c.

Explicatio
hujus exe-
pli. 37. *Ubi tria notabis. I. Imaginem ipsam Veronicæ directē
invocari,*

Es mox

Item:

invocari, eiq; divinam virtutem disertè adscribi: & qua DEI
Christiq; propria sunt, ab ipsa immediatè peti. Quae sanè aperta &
blasphemia Idololatria est. 2. Idolum pro Idolo invocari, hoc est,
Imaginem seu panniculum Veronicæ pro hostia missatica
rogari: ut alterum, scilicet, Idolum alteri succurrat, adversus here-
ticos, &c. Quae mera stultitia est, meritò ab omnib; ridenda. 3. Pre-
dictū Papā plenas Indulgentias, videlicet, decies mille dierū, attri-
buisse omnibus, hanc orationē dicturis: ut scilicet hæc idololatria
tāto magis cōfirmetur, & blasphem⁹ error errore simili stabilatur.

38. Neq; verò solam Veronicam ita adorare atq; invocare so-
lent Adversarii. Nam & in aliis Crucifixi & Maria signis simili-
ter se gerunt: fatente idipsum, inter alios, Lucio Marineo Sicur-
lo, Caroli V. historico lib. 5. de rebus Hispanicis. In urbe, inquit,
Burgensi adoravimus Salvatoris Imaginem crucifixā, q̄
à Nicodemo facta perhibetur: Cujus invocato Numine
multos infirmos convaluisse nobis affirmarunt, &c. Vide
etiam comment. Pii II. Papa lib. 2. ubi narrat, in Ecclesia S. Ma-
riæ Prunetanæ, agri Florentini, Virginis esse imaginem,
quam mira religione populi venerentur, tanquam pluvie
serenitatisque donatricem, &c. Ergo non modò Crucifixi &
Maria Imagines palām adorāt, sed & numē earū directè invocāt.

Alia exem-
pla.

39. Et sanè verba simul & gestus eorum, qui simulacris suppli-
cant, idipsum non obscure arguunt, quippe qui (ut Arnobius lib. 1.
contra Gentes ait) tanquam si vis præsens inesset, illis adu-
lantur, affantur, & beneficia de trunco nihil sentiente po-
fcunt, &c. Ut mirum non sit, inter Adversarios ingenuè quos-
dam fateri, in Papatu benè multos esse, saltē rudiores, qui
lignas, saxeas, marmoreas, æneas, item in parietibus pi-
ctas imagines colant, nō ut figuras; sed perinde quasi ipsæ
sensem aliquem habeant. quique iis magis fidant, quàm
ipsi Christo, aut aliis Divis, quibus dicatæ sunt, &c. Vide Po-
lud. Virg. de rerū inventorib; lib. 6. cap. 13.

Alia pro-
batio &
Confessio
Papistarū.

50.

49.

48.

47.

46.

● *Object. 1.* 40. *Objiciunt tamen rigidi Papistæ multa, quibus Idololatriæ hanc suam, si possint, defendant. Inter quæ principem locum tenent ea V. T. loca, quæ res quasdam sacras, ut Cherubinos, Arcam federis, Aeneum serpentem, & alios id genus Christi typos, à piis olim adoratos fuisse, innuere videntur. Exod. 25. Num. 21. Item 1. Sam 4. & 6. &c. præsertim quum Psal. 99. scriptum sit: Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est, &c. Hinc enim consequi videtur, imagines Christi & Sanctorum, utpote sanctas, & rerum sanctissimarum figuras, similiter adorandas esse.*

Responsio. 41. *Respondetur 1. Nusquam legi, typos illos à piis olim religiosè adoratos, aut invocatos fuisse: sed hoc legi potius, eosdem, ubi sic colitæ capissent, è medio sublato fuisse. Quibus tamen externam & civilem reverentiam exhibitam fuisse, non negamus. 2. Locum Ps. 99. de adoratione DEI ad scabellum, non autem ipsius scabelli, accipiendum esse: siquidem religiosa, non civilis adoratio, intelligi debeat. 3. Nec Agnum Paschalem, nec Manna, nec aquam petrae, nec vestes sacerdotales, immò nec Pontifices ipsos, illo cultu unquam affectos fuisse: licet & res & persona sancta essent, adeoq; ipsius Christi typi, & rerum sacrarum figura valde evidentes essent. Vide Exod. 12. & 16. & 25. & seqq. Item 1. Cor. 10. Heb. 9. &c. Adde etiam locum Exod. 3. de terra sancta, &c. Item locum 2. Timoth. 3. de S. Scripturis, &c. Quæ tamen illo modo nunquam culta fuerunt à verè piis, neq; sic coli debent.*

● *Object. 2.* 42. *Altera objectio nititur rationibus, partim à simili, partim à contrario petitis. Si enim (inquiunt) homo idcirco veneratione dignus est, quia imago DEI est: cur non similiter alia Christi, & Sanctorum imagines veneranda sint? Item, si imago Regis terreni civiliter honoratur, cur non imago Regis cælestis religiosè colatur? Deniq; si gentium Idola idcirco merito ridentur & abolentur, quia falsos Deos representant, cur non Christianorum Imagines pie colantur, quæ verum Deum, & Christum, & Sanctos verè repræ-*

re representant: Ut enim contumelia, sic & honos, imagini delatus, in prototypum necessario redundat.

43. Respondetur 1. Ne hominem quidem, licet opus ipsius D E I, Responsio.
& vivam D E I Imaginem, religiose colendum esse: multo minus igitur opus hominis, hoc est, imaginem fictam, aut pictam, &c. 2. Non eam esse proportionem inter Imagines regis terreni & caelestis, interque cultum religiosum & civilem, respectu harum Imaginum, quae est inter ipsum regem terrenum & caelestem, interque cultum utriusque persona debitum, &c. 3. Gentium simul & Judaeorum idola non modo propter falsam representationem, sed & propter superstitiosum cultum, a piis semper irrita, atque etiam, ubi res tulit, destructa fuisse: sicut Exod. 32. & 2. Reg. 18. Act. 17. &c. videre licet. 4. Denique non omnem honorem, vel ignominiam, signis illatam, ad prototypa redire: prout exempla superius citata evidentiter ostendunt, &c. 5. Adde, quod ratio clare docet, honorem ad ipsius honorandae rei, vel personae dignitatem, tanquam ad regulam suam, exigendum esse: neque idcirco signa perinde ut prototypa, nec ista perinde ut illa, sed utraque suo conveniente modo, & gradu, veneranda esse.

44. Postremo loco Patres, & Concilia quaedam, nobis admodum pompose opponunt; item miracula quaedam, per Imagines Christi, & Sanctorum, edita; denique contrarias illorum conditiones, qui cultum Imaginum vel defenderunt, vel impugnarunt: quorum illi plerumque pii, & felices, hi contra & impii, & infelices fuisse videntur. De quibus omnibus copiose Bellarminus. Obiect. 3.

45. Respondetur 1. Antiquiores Patres, saltem per 300. annos, Responsio.
nullum penè imaginum usum habuisse; nedum cultum earum approbasse: ut qui Religionem ibi nullam esse judicaverint, ubi simulachra haberentur, &c. eoque planè spuria censenda esse, quae ex Irenæo, Tertulliano, Lactantio, & aliis horum synchronis, ab adversa parte citantur. 2. Media verò aetatis Patres, ut Basilium, Chrysostomum, Augustinum, Ambrosium, &c. histo-

ricum duntaxat usum, non autem cultum imaginum, asseruisse. sicut ex ipsorum dictis, & praesertim ex Epistolis & factis Sereni Massiliensis, item Epiphani, & Gregorii M. videre est. 3. Praesertim autem illos, Damascenum, Tharassium, & quotquot in Nicena 2. alijsq; talib. synodis coacti fuerunt, inter Iconolatrias merito recenseri, ijsq; & Patres, & Concilia longè meliora, jure opponi, & c. 4. Miracula, quae jactantur, aut fabulosa, aut non verè divina esse; aut saltem non eo fine, quo Papista volunt, olim edita fuisse. 5. Deniq; prorsus ineptum esse, ab externis rerum eventis, aut incertis personarum conditionibus, ipsam doctrinā aestimare vel: praesertim ubi de veris eventis, eorūq; causis, deq; veris hominum conditionibus, ut hic fit, ab utraq; parte animosè cōtenditur.

Epilogus. 46. Ut igitur finiamus (cetera enim, D E O dante, plenius in ipsa collatione patefient) ex supradictis ita concludimus: Adversarios quidem, in cultu sacrarum imaginum, & veram, & propriè dictā Idololatriam haecenus exercere: nostri verò officii esse, tum hanc, tum alias omnes Idololatriae species studiosè cavere: Deūq; semp in Spiritu & veritate, juxta verbi ipsius praescriptum, & hominū verè sanctorum exemplum, privatim simul & publicè venerari. Cui sit laus & honor in secula. Amen.

COROLLARIUM, de usu Imaginum, praesertim
sacro & publico, in templis Christianorum.

QUERITUR hoc loco I. Annon aliquis in genere sit honestus ac legitimus Imaginum usus? 2. Annon specialis aliquis earundem usus sit, aut esse possit: puta sacer simul & publicus, live Ecclesiasticus? 3. Annon respectu hujus sacri & publici usus Imagines in templis Christianorum habenda, aut saltem ferenda sint, tanquam ornamenta templorum, & libri laicorū, & c. 4. Si aliqua isto modo & fine habenda, aut ferenda sint, quanam optima, aut minime periculosa videantur? 5. Sin auferenda sint, quis ordo & modus in actione ista servandus sit?

Respondemus ad I. Omnino aliquem in genere esse bonum & legitimum imaginum usum (imaginum inquam alioqui licitarum) & quidem multiplicem: tum ad memoriam praeteritarū rerum.

rerum, ac personarum, meliùs conservandam: tum ad mentem
pleniùs de iisdem informandam; tum ad animù, studiis aut curis
fortè defatigatum, honesta voluptate recreandum; tum ad ho-
norem aliquem singularem, viris præclaris exhibendum, nòsque
& alios ad istorum imitationem excitandum: denique ad ædifi-
cia, privata aut publica, splendidiùs ornandum, &c. Vide exem-
pla in V. T. Exod. 25. & seqq. Num. 21. Item 1. Reg. 6. & 7. & seqq.

Ad 2. Non modò in *œconomia* privata, inque externa *politia*,
seu civili vita & conversatione; sed etiam in *Ecclesia*, ejùsque re-
gimine, aliquem specialem sive sacrum imaginù usum esse possi-
se: eùmque non modò privatim, in museis, aut ædibus nostris;
sed & publicum, in sacris conventibus: puta, tum historicum, seu
doctrinalem, ad memoriam juvandam, &c. tum Ethicum seu
moralem, ad nos ipsos, aliòsque excitandum, &c. Vide loca V. T.
modò citata, & rationes eorum diligenter expende.


Ad 3. Circumstantiam loci per se quidem *adiaphoram* esse: per
accidens tamen, hoc est, propter accedens Idololatriæ periculù,
aut infirmorum offendiculum, aut similem aliquem Imaginum
abusum, minimè illam contemni debere. Itaque de hac circum-
stantia sic distinctè habendum est. 1. Imagines in templis Chri-
stianorum saltem non *necessarias* esse: quippe sine quibus uni-
versus DEI cultus ritè peragi potest: & quibus Ecclesia primi-
tiva sine ulla pietatis jactura per aliquot secula caruit. 2. Eadem
ne *utiliter* quidem illic retineri posse, sed inutiles potiùs ac no-
xias judicandas esse, si vel opinio necessitatis, vel evidens Idolo-
latriæ periculum, aut certum infirmorum offendiculum, aut si-
milis abusus accedat. 3. Si tamen nihil horum verè sit, ac ne futu-
rum quidem esse justè metuatur, tum nò minùs in *templis*, quàm
in *ædibus privatis* eas haberi, aut saltem tolerari posse, quippe quæ
per se *adiaphoræ* sint. 4. Rectiùs tamen eos facere, qui semel o-
mnia ista Idololatriæ instrumenta, & irritamenta, ex infirmorù
oculis auferunt, quàm qui sic retinere solent, aut retinenda pu-
tant, ut populus subinde contra abusum operosè muniendus
sit. Nempe, quia nullus istarum rerum tantus usus esse potest, q
& metum & periculum abusus compensare possit. Itaque hoc
sensu probamus Elibert. Concilii Can. 36. *Ubi pictura in templis*


fieri prohibentur, ne id, quod colitur, in parietibus pingatur, &c.


Ad 4. Si imagines quædam in templis habendæ, aut ad tempus ferendæ sunt, tum simplices historiarum picturas erectis statuis, aut solidis signis, anteferendas videri. Nam & minus in illis, quàm in istis, errandi periculum est, quippe quæ non ita, ut solidæ statuæ, vestibus ac fertis, &c. ornari, aut similibus modis coli possunt: & major ex illis, quàm ex istis, utilitas, quoad historiam, &c. haberi potest: quippe quæ planius omnia sensibus subjiciant, quàm nuda & muta sculptilia: sicut & ratio, & experientia testatur. Ubi obiter nota, in sacris picturis, præsertim publicis, loco *Dei Patris*, cujus imaginem depingere nefas est, ipsam Nomen tetragrammaton (ut vocant) seu literas illas, nomen *Jehova* exprimentes: & loco *Christi Servatoris* aut *Mediatoris*, cujus saltem integra persona, & præsens gloriosa conditio depingi nõ potest, characteres illos, qui nomen *Jesu*, vel *Christi*, compendiosè denotant: denique loco *Spiritus S.* non columbam aliquam (de cujus apparitione in Baptismo Christi, vulgaris opinio, si nõ falsa, saltem incertã est) sed ignem aut lumen potius cæleste, seu radios cœlitus effusos, solenniter pingi vel exprimi posse: idq; ppter utramque causam, paulò antè indicatam.

Ad 5. In auferendis, aut abolendis statuis, & Imaginibus, cùm de ordinaria via quæritur, duo præcipuè spectanda esse. 1. Ut publica Christiani magistratus, aut totius Ecclesiæ, autoritas accedat: neque per vim, aut seditionem popularem, neque ex privata paucorum voluntate, aliquid hîc fiat. 2. Ut Magistratu procurante Ecclesia ipsa sufficienter ex *DEI* verbo erudiatur, quid de re tota sentiendum sit, priusquam ad executionem veniatur: atque ita Idola prius ex animis, quàm ex oculis hominum auferantur, &c. Vide exempla piorum Regum, *Joasi*, *Josia*, & in primis *Ezechie* 2. Reg. 11. & 18. & 22. & seqq. Item exemplum *Apostoli Pauli* Act. 14. & 17. & 19. &c. Vult enim *DEUS*, autor pacis, & ordinis, omnia decenter & ordine in domo sua tractari, & tum magistratus auctoritatem, tum in primis Ecclesiæ ædificationem, à nobis ubique spectari.


FINIS.

















IV.

æ genus non est ars nec prudentia.

ut prolixi sumus, nulla flagitat necessitas: unico igr
ur: quicumq; habitus philosophicus non est practi-
ca vitia & virtutes, circa contingentia, circa ea quæ
adunt, illius quoq; genus esse nequit. Atqui Meta-
talis habitus Erg. genus ejus prudentia esse nequit.
t prudentiæ propria indoles, ut minorem ipsius
a, quæ est mera theoretica seu speculativa. De arte
dam movere ausi sunt, quibus opponimus hanc ar-
ti non competit definitio artis, illius genus ars esse
yficæ non competit definitio Artis. Erg. Major
itio generis competit speciei generi subjectæ, quia
eò est corpus animatum sensu præditum. Minor
one artis. Ars, inqt. Philosophus 6. Ethic. est habi-
ffe ctivus: hoc a. de Metaphysica nemo sanæ men-
theor. transc. disp. 1. th. 28. p. 10. quia habitus pra-
yfica, quomodo ars erit? Cum omnis ars sit habi-
es habitus practici: Forsan species alicui compe-
genus illius speciei? quod ego non crediderim,
omo sit & non animal. Hæc ille. Artem contem-
m Mart. part Metaph. l. 1. q. 2. s. 1. & Scharf. theor.
p. 20. proclamamus σιδυρόξυλον. Nec juvat eum
io, quam ex Luciano suo accurato illo definitore
quæ quam perfecta & accurata sit, videatur Exc.
b. 1. art. 3. s. 3. p. 10. Scheibl. Met. l. 1. c. 1. art. 2. n.
p. 7. l. 1. quest. 1. & alii.

V.

e genus non est intelligentia.

usio non adeò sit apud Dd. Metaph. controver-
a brevis ero: sicuti a. de scientia strictè ita dicta
l ideò non possit esse gens Metaphysicæ, quia
siones: ita nunc de intellectu dicimus, quod hic
æ constituere nequeat, quia præcisè Principia
mentum. Qui habitus in nudis acquiescit Prin-
a. esse nequit. Ast intelligentia talis est. Erg. Ma-

A 3

ior